

ibid. Tu ipse es justissimus: vers. 8. unde col-
ligitur diviniſſima ac ſingulariſſima unctio: ib.

(7) *Vestitus pretioſiſſimus*: vers. 9.
III. Descriptio vel instructio Reginae &
gynæcei: ubi (1) *filiae regiae*: vers. 10. (2) *re-*
gina coronata stans ad dextram, ibid. Quae
ipsa excitatur (a) *ad obsequium*: vers. 11. *ad*
oblivionem popularium: ibid. *ad honorem regi,*
quippe qui ipſus Dominus, debitum: vers. 12.

PSALMUS XLV.

EXPLICATIO VERSUS I.

שׁוֹשַׁנִּים: Nomen hoc, quod convenientiam
habet cum שׁשׁ *sex*, à multis accipitur pro *lilio*,
sex folia, ut & totidem intus capillamenta ha-
bente: praesertim cum in figura hujusmodi in co-
lumnis ac aedificiis videantur effigiatae, ornatus
causa, 1. Reg. VII, 19. 22. 26. Faceret huc, quod
Lilium olim appellatum fit *Flos regius*, qui in num-
mis etiam cernitur antiquis Imperatorum, ubi
Deo, *lilium* praetendens dextram, cum inscriptio-
ne: *spes publici. spes Augusta. spes P. R.* Atque
sicut *Lilium* nunc insigne est Gallorum, ita olim
fuit Persarum, quorum etiam regia hinc vocata
Susan: &c. Et quidem pro flore aliquo hoc no-
men usurpari, satis clare patet ex Hof. XIV, 6.
florebit כִּשְׁשׁוֹן. sic Cant. II, 2. sicut שׁוֹשַׁנִּים inter
spinas, (ubi plerique non pro lilio, ut quod spi-
nis caret, sed pro *rosa* vocem hanc accipiunt;) sic
cap. II, 1. שׁוֹשַׁנִּים convallium; confer cap. II, 16.
IV, 5. V, 13. VI, 3. 12. VII, 3. Pro *rosa* accipit Marinus
in *arca*. ita Chaldaeus quoque exprimit per suum
וִרְדָּא vel וִרְדָּא *rosa*; Cant. II, 1. 2. VI, 2. VII, 2. Ita
convenit etiam cum שׁשׁ *byssus*, ratione mollitiei;
candoris &c. De *rosa* etiam Lutherus. Hinc,
quia flores hujusmodi odoriferi in gaudiis nu-
ptialibus solent esse frequentes, dicitur à qui-
busdam, etiam horum propterea in hoc nuptia-
li carmine fieri mentionem, ad innuendam
mox ab initio solennis hujus gaudii festivitatem.
Verum cum in aliis quoque psalmis mi-
nus laetis adhibeatur eadem haec formula, videli-
cet Psalm. LX, 1. LXIX, 1. LXXX, 1. probabilior
omnino aliorum est sententia, pertinere hoc ad
indicandum vel *hexachordum* aliquod instrumen-
tum; ita Kimchi, Casaub. epist. p. 137. *Michtal Jo-*
phit; &c. vel *cantilena* cujusdam vulgatae, ad cu-
jus modulos hi psalmi decantandi, periphra-
sin; juxta *Aben Efram, Vatablum, Coccejum, Rive-*
tum, Amamam Antib. p. 779. *Vulgatus* & LXX. ἵππερ
τῶν ἀλλοιωμένων, pro *his, qui commutabuntur*; ac si
esset, שׁוֹשַׁנִּים ex שׁ & participio שׁוֹנֵה verbi
שׁוֹנֵה Chaldaeus: *qui sedent in Cathedra Moſis*, ac-
cepit hic pro relativo שׁ & pro שׁוֹנֵה Doctoribus
Talmudicis, qui *δευτεροκαθ* alioqui solent appel-
lari. Sed tam litera, quam puncta locique pa-
ralleli obstant: vide *Rivetum*. Rasche *lilia* pro
sapientiae studiosis teneris. *Muis* de sponſo &
sponſa, qui floribus comparantur, Cant. II, 1. seq.
Tarnov. *Psal. pass.* p. 257. de *liliis*, i. e. Christo, vi-
de ipsum late.

לְבָנֵי *pro filiis Korach*: eadem haec inscri-
ptio jam adfuit Psalm. XLII, 1. XLIV, 1. Chaldaeus
videtur Korachitas constituere hymni hujus au-
tores; verum huic caeterisque idem sentientibus
non male respondit Coccejus: *quod filii Korach can-*
tores fuerint, & acceperint carmina à Davide, legimus;
quod ex his aliquis praefecto dederit carmen, non legimus.

(b) Promittitur ipsi obsequenti amor regis
fervidus: ibid. munerum oblatio atque vene-
ratio: vers. 13. gloriosus vestitus: vers. 14. 15.
adductio ad regem: comitatus virginum egre-
gius: vers. 15. 16. liberorum status exoptatus:

IV. Epilogus: *famae hujus regis celebratio*
per omnia durabit secula omnesque apud orbis
nationes: vers. 18.

משׁכִּיל *informans*: nempe Psalmus; vel ju-
xta Junium: *ode didascalica*, vide Psalm. xxxii, 1.
xliv, 1.

יְדִירוֹת *deliciarum vel amorum*: qui vide-
licet amores intercesserunt Messiae cum sponſa,
sua delicta, nempe ecclesia. Nomen est יְדִיר
dilectus, Deut. xxxiii, 12. quod ipsum epitheton
Messiae, omnium desiderabilissimo, tribuit Je-
saias cap. V, 1. item David omnibus piis, Dei ami-
cis, Psalm. CXXVII, 2. LX, 7. CVIII, 7. ubi dicun-
tur יְדִירִים. In terminatione autem foemina non
nisi semel adhuc occurrit, nempe Psal. LXXXIV, 2.
מִדְּוַדְּךָ מִדְּוַדְּךָ *quam desiderabilia sunt*
tua tabernacula! Quapropter & hic interpreta-
mur: *carmen desiderabilem*, (positio foemina in
significatione neutrali,) h. e. carmen amabile, vel
amores sacros amabiliter describens. Lutherus:
Brautlied: prius: ein lieblich Lied. Moguntina:
ein Lied für dem Geliebten. Pari modo יְדִירוֹת
magna, ponuntur neutraliter pro magnis, Psalm.
XII, 4. Psalm. XXVII, 4. יְחִידָא *unam*, i. e. unicum
illud &c. Ne verò amores hos accipias fortè pro
carnalibus, inque Salomonis cum Pharaonis filia
nuptias compositum hoc carmen opineris, ap-
positum est משׁכִּיל *erudiens*, ob profundam vide-
licet sanctamque sapientiam vel eruditionem,
in carmine hoc comprehensam, quod breve qua-
si compendium est Cantici Canticorum. Gro-
tius, Junius & Piscator substantivè reddunt: *car-*
men amicarum, h. e. epithalamium à puellis spon-
sae Salomonis amicis decantatum; verum quid
opus fuisset addere, *pro filiis Korachi*, si Puellae fu-
issent decantatrices? imò nuptiae illae Salomonis
cum Aegyptiaca, tanquam alienigena, hautqua-
quam adeò extiterunt laudabiles, ut in illarum
gratiam Spiritus Sanctus dicitaret *oden didasca-*
licam. Plura alia de Messia unice in psalmo hoc
descripto, suppeditabit Dn. D. Calovius *cont. Grot.*
ad hunc locum, item Botsac. *anti Crell.* p. 505.

EXPLICATIO VERSUS II.

שׁוֹחֵחַ *excogitat, vel exastuat*: Verbum hoc est
monadicum, cujus significationem esse dicit B.
Nathan מַחְשַׁבָּה *cogitationem*. nullumque praeterea
ex se habet in sacris derivatum, quam מַחְשַׁבָּה *ca-*
cabus, in quò frigi aliquid solet, Lev. II, 7. VII, 9. ad
quod procul dubiò respexerunt Interpretes,
quando reddiderunt per *Ebullire, Eructare*; frixa
siquidem talem inquietam solent super igni ede-
re crepitationem. Sic etiam Piscator: *ebullit*, sci-
licet effervefactum à Spiritu Sancto: metapho-
ra à butyrò ebulliente in sartagine, vide *Rivetum*
& *Felicem Pratensem* de motu labiorum.

לִבִּי *cor meum*: h. e. ex intimis devotissi-
misque animae meditationibus proficiscitur id
omne, quod sequetur. Cor enim, ceu sedem
regiam ac primariam, poni pro animà, illic ha-
bitante, ejusdemque operationibus, satis est fre-
quens